



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationum// Roberti Bel-//larmini Politiani,// Societatis  
lesv// De Controversiis// Christianae Fidei, Adver-//sus  
huius temporis Haereticos,// Tomus ...**

De Sacramento Evcharistiæ - Sex Libris Explicata

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1589]**

**VD16 B 1603**

XV. De cæremoniis quæ fiunt in Missa, & in actione consistunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54113](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54113)

ieiunium, ex Scriptura diuina perspicuum est, quæ vbiq;  
coniungit orationem cum ieiunio. Tobia 12. *Bona est  
cum ieiunio.* Iudith 4. *Ieiunio, & orationibus.* Luca 2. *In  
ieiunio, & orationibus seruicns Deo.* Matthæi 17. *Hoc genua  
eiicitur, nisi in oratione, & ieiunio.*

ULTIMO obiicit, Christum id liberum reliquisse, potius  
liberum esse debere. RESPONDEO; Multa Christus potius  
præcepit, quæ tamen libera esse noluit, siquidem ea per Apo-  
stolos, aut eorum successores præcepit, & de illis dixit Luca 10.  
*Qui vos audit, me audit.*

## CAPVT XV.

*De ceremoniis, quæ fiunt in Missa, & in actione  
consistunt.*

**N**UNC de ceremoniis illis breuiter est dicendum,  
quæ in ipsa Missæ celebratione adhibentur,  
ad quinq; capita reuocari possunt. ALIÆ ad Deum  
referuntur, vt eleuatio manuum, eleuatio  
oculorum, adoratio per inclinationem corporis  
aut per genuum curuationem. ALIÆ ad sacrificium  
uatio, ostensio, fractio, commixtio. ALIÆ ad sacerdotem  
celebrantem, vt unctio pectoris, & lotio manuum. ALIÆ ad  
populum, vt salutatio, & dimissio. ALIÆ ad ea, quæ fiunt  
in Missa, vt cantus, & instrumeta Musica. Præter has  
dam ALIÆ sunt communes multis rebus, vt signum  
asperio aquæ, thurificatio, osculum.

PRIMA igitur ceremonia erga Deum, id est, eleuatio  
manuum, exemplū habet in diuinis literis. Nam Exod. 17. Moyses  
eleuatis manibus orans impetrauit. Item 3. Regum. 18. Elia  
Iomon oraturus expandit manus in cælum. David Psal. 141.  
*Eleuatio manuum mearum sacrificium & sperantiam meam.*  
postolus 1. Timoth. 2. *Volo viros orare in omni loco leuantes  
puras manus.* Denique naturalis hæc ceremonia effertur  
tur, cum etiam apud Ethnicos passim legantur, qui oculum  
ad cælum manus extendisse.

SECUNDA, quæ est eleuatio oculorum, Christo facta  
fuit: nam in plurimis locis oculos ad cælum leuasse dicitur  
vt patet Matth. 14. Marci 6. & 7. Luca 9. Ioan. 6. n. & 17.  
quamuis in actione Cœnæ non legatur expressè in Euang.



lio, oculos ad cœlum sustulisse: id tamen constanter asserunt eum fecisse, S. Iacobus in sua Liturgia, & S. Ambrosius lib. 4. de Sacramentis, cap. 5. Tertullianus in Apologetico, cap. 30. scribit Christianos cœlum intuentes, manibus extensis, nudo capite orare solitos.

TERTIA, quæ est inclinatio corporis, aut genuum incurvatio, index est humilitatis, & reuerentiæ, & passim à Sanctis vsurpata. 2. Paral. 6. Salomon flexis genibus orat. Luc. 22. Dominus ipse positus genibus orabat. Act. 21. Paulus positus genibus orauit cum omnibus, qui secum erant. Neq; possunt hæc cæremoniæ erga Deum, vlllo modo reprehendi: nam vt S. Cyprianus docet in serm. de orat. Dominica, placendū est diuinis oculis etiã habitu corporis. Non solùm autem inter sacrificadum sacerdos inclinat caput Deo, sed etiã cruci, aut imagini crucifixi, & ipsi etiam altari, & id sæpius: quam cæremoniam antiquissimam esse intelligi potest ex Liturgia CHRYSOSTOMI, vbi habetur hæc verba: *Sacerdos egreditur ex paruo ostio, & conuersus ad Christi imaginem, inflexo capite cum exclamatione dicit hanc orationem, &c.*

PRIMA cæremonia erga sacrificium, est eleuatio hostiæ consecrandæ coram Deo, quæ fit in Offertorio; quæ cæremonia non potest reprehendi, si concedatur oblatio, quam libro superiore defendimus. Nam si licet offerre Deo sacrificium visibile; cur non liceat id ipsum eleuare in signum oblationis? Habemus etiam in Scriptura exemplum, siquidem Leuit. 8. 9. 10. & alibi, sacerdos eleuat coram Deo id quod offertur. Denique habetur in antiquis Liturgiis.

SECUNDA, quæ est ostensio Sacramenti ad populum, antiquissima est: habetur enim imprimis in Liturgiis Basilij, & Chrysostomi, & apud Dionysium cap. 3. Eccles. hierar. Et præterea meminit eius, vt Apostolicæ traditionis, Sanctus BASILIUS in libro de Spiritu sancto, cap. 27. *Verba, inquit, inuocationis cum ostenditur panis Eucharistia, et poculum benedictionis, quis Sanctorum in scripto nobis reliquit?* CHRYSOSTOMVS crebram facit mentionē illius ritus, qui apud Græcos erat, vt Eucharistia consecraretur ad altare velis obducta, ac deinde reductis velis populo ostenderetur. Homil. 61. ad populum Antiochen. *Cum vela, inquit, videris retrahi, tunc superne cælum aperiri cogita, &c.* Idem habet homil. 36. in 1. Corinth. & homil. 3. in epist. ad Ephes.

Eccc 2

TERTIA,



TERTIA, quæ est fractio & commixtio, habetur etiam in Liturgia Iacobi, & in Liturgia Chrysostomi: quæ quoque antiquissima est. Vnde Chrysostomus homilia priorem ad Corinth. scribit, Christum in altari confrastrati, quam in cruce pati noluit.

ALIA est cæremonia erga sacrificium, mixtio aquæ vini, de qua nihil hîc dicimus, quia in 4. libro de Eucharistia copiosè de ea tractauimus.

PRIMA cæremonia, quam erga seipsum sacerdos adhibet est unctio pectoris: ea enim vitur in cõfessione, quæ fit ad altarium Missæ, & ad illam prece[m]: *Agnus Dei qui tollis peccata mundi, &c.* Et ad illa verba: *Domine non sum dignus.* Hanc cæremonia pœnitentiã indicat, & naturalis est, apud Euangelio exemplũ habet. Nam Luc. 18. Publicanus percussit pectus suum, dicens: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Et Luc. 23. *Reuertebantur percutientes pectora sua.*

SECUNDA est lotio manuum, paulò ante consecrationem quæ habetur etiã in Liturgiis Græcorum: eiusdem cæremoniam meminit Dionysius cap. 3. Eccles. hier. & Clemens lib. 8. cap. 5. & Cyrillus catechesi 5. myst. *Vidisti, inquit, Dominum aquam lavandis manibus porrigentem sacerdoti?* Et reddidit causam huius cæremonia, ac dicit, non adhiberi lotionem ad sordes corporis abluendas, cum nemo esset sordidus, sed ob symbolum pietatis animi, qua pollere debent, quæ tantũ peragunt sacrificium.

PRIMA cæremonia erga populũ, est salutatio per *Dominus vobiscum*: de qua in sequenti capite disseremus.

SECUNDA cæremonia est dimissio populi per *Ite missa est*: de qua etiam infra dicemus: nam ista cæremonia in actione consistunt, non in actione tantũ.

PRIMA cæremonia erga ea, quæ leguntur in Missa, est cantus: de qua non est hoc tempore magna cõtrouersia: nam etiam hæretici passim canunt. Et præterea habemus ipsius exemplum. Nam Matth. 26. legimus Dominũ in vltima cæena, in qua prima Missæ institutio, & celebratio conficitur, hymnum cecinisse: illa enim verba: *Et hymno dicto, Cantate, &c.* propriè cantũ significant. Nam vt Augustinus docet, in titulũ Psal. 72. vsq; ad eod[em] de ratione hymni est cantus, vt nisi cantetur, hymnus dici nõ possit. Vnde etiã Concil. Lateranum IV. c. 12. de hymnis canendis in sacro officio, dicitur



exemplum Domini habere: ex quo falsum esse colligimus, quod scribit Lutherus in lib. de captiuit. Babyl. cap. I. Missam Domini sine cantu celebratam esse. In disputatione de horis Canonicis, tomo 3. de hac recopiosius disseremus.

SECUNDA cæremonia, sunt instrumenta Musica, quæ in Ecclesia adhiberi cœpra sunt in sacro officio, tēpore Vitaliani Papæ circa annum Dñi DC. LX. vt ex Pontificali refert Platina; vel vt mauult Aimoinus li. 4. de gestis Francorum, cap. 114. post annum Domini DCCC. XX. tempore Ludouici Pij. Licita autem esse, & vtilia eiusmodi instrumenta, si sobriè, & grauitè eis vtamur, negari certè nõ potest, cum & habeamus exemplum Testamēti veteris, & experiamur deuotionem per ea excitari, & tædium minui, quod ex longitudine, & grauitate officiorum alioqui oriretur.

Neque valet responsio Petri Martyris ad exemplum Testamenti veteris: scribit Petrus Martyr, in cap. 14. prioris ad Corinth. instrumēta Musica pertinere ad Iudaicas cæremonias, neq; nobis magis conuenire, quàm Circumcisionem, & neomenias. SED fallitur apertissimè. Siquidem Iudaicæ cæremonie duplices erant. QUÆDAM ipsorum propriæ, quæ videlicet ad aliquid futurum significandum erant institutæ, vt Circumcisio, & similes: & hæ nobis verè non conueniunt. ALIÆ erant communes ipsis cum aliis Gentibus, eæ scilicet, quæ naturali ratione nituntur, non autem significatione rerum futurarum, vt genua flectere, pectus tundere, &c. Et hæ nobis etiam conueniunt, atq; ad hoc genus pertinent Musica instrumenta, quippe quæ in Dei laudibus adhibentur, propter infirmos, quorum non pauci in Ecclesia numerantur: iuuant enim, vt dixi, tum ad excitandam pietatem, tum ad fastidium, ac tædium minuendum.

Ex cæremoniis cõmunibus, PRIMA est, aspersio aquæ benedictæ. Nam in Dominicis diebus ante initiũ solennis Missæ, Sacerdos aquã benedicit, ac deinde aspgit se, & Ministros, & altare, & populũ: quæ aspersio est quædã expiatio, & præparatio ad futurũ sacrificium. De aqua benedicta fusè tractauimus in lib. 3. de Ecclesia triumphante, cap. 7. Hic solũ annotasse sufficiet aquæ benedictionẽ à S. Basilio inter Apostolicas traditiones numerari, lib. de Spiritu sancto, cap. 27. & Dominicis diebus ad Missam adhiberi solitã aquæ asperionem, colligi ex Micrologo in lib. de obseruationibus Eccles. cap. 46.



SECUNDA cæremonia communis, est thurificatio: nam tum adoletur in Missa, tum ad altare, tum ad Euangelium, tum ad Sacerdotem, tum etiam ad clerum, & populum; & quia hæc cæremonia antiquissima est. Nam can. 4. Apostolorum dicitur thymiama, seu incensum offerendum ad altare, cum sacra celebratur oblatio. Dionysius, cap. 3. Ecclesiasticæ hierarchiæ, describens ritum celebrandi sacrificij Eucharistiæ, meminit etiam thuris. In Liturgiis Iacobi, & Chrysostomi, mentio sit benedictionis thuris, & thurificationis ad altare. Præterea Damasus in Pontificali in vita Soteris & Syllæ Pontificum, inter alia sacra vasa Ecclesiæ numerat thymiola, seu thymia materia: quare falsum est, quod Platina in vita Sixti I. & Polidorus Virgilius in libro de inventoriis recensent scribunt, Leonem III. qui sedit anno DCCC. fuisse primum, qui thus in Missa adhibuit. Quod autem Arnobius scribit, lib. 7. contra Gentes, religionem thuris novellam esse, intelligi debet de consuetudine Gentilium: nam apud populum Dei, antiquissima consuetudo est, thuris adhibendi sacrificio diuino, vt patet ex libro Exod. 25. 30. & sequentibus. Porro Christiani thuris religionem non à Gentilibus sed ab Hebræis acceperunt.

Causa verò cur thuris odor, ac fumus in sacrificio beatatur, vt colligitur ex precibus Liturgiæ tum Græcæ, tum Latinæ, est, tum vt significetur bonus odor Euangelij, & hominum qui Euangelium prædicare debent; tum ob similitudinem quam habet incensum cum oratione, vnde dicitur in Plat. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Et apud calyp. 9. incensum Deo oblatum interpretatur Iohannes esse orationes Sanctorum: tum etiam ad gloriam Dei representandam, Deus enim in nebula se ostendere solebat in Testamento veteri: tum deniq; ad tetrum odorem, si quis ex multitudine hominum in Ecclesia existeret, abstergendum.

TERTIA cæremonia communis, est osculum: osculatur enim Sacerdos frequenter ipsum altare, deinde librum Euangelij; tum Ministrum suum, & per eum in vniuersum clerum & populum pacem diffundit. Quæ cæremonia habetur in Liturgiis omnibus, tum Græcis, tum Latinis; & eiusdem tenent inquit Iustinus in fine 2. Apologiæ, Tertullianus lib. de oratione, cap. vlt. Cyrillus Catechesi 5. mystagogica, & Chrysostomus homil. 77. in Ioannē. Duplex autem ratio est huius osculi



nam altare, & librum in signum reuerentiæ osculamur, fratres autem in signum charitatis, & pacis.

QUARTA cæremonia est, signum crucis: quæ omnium communissima & antiquissima est. Nam signo crucis seipsum Sacerdos consignat, item librum, altare, res offerendas, & oblatas, ac denique populum dum ei benedicit.

NOTAT autem Micrologus, libro de obseruationibus Ecclesiasticis, cap. 14. signum crucis aut semel, aut ter, aut quinquies exprimi solere super oblationem, non bis aut quater: quia semel exprimitur ad essentia diuinæ unitatem, ter ad personarum Trinitatem, quinquies ad quinque plagas Domini representandas.

Esse autem antiquissimam cæremoniam, perspicuum est. PRIMO, ex Liturgiis sancti Iacobi, & aliorum, quæ plenæ sunt eiusmodi consignationibus. SECUNDO, ex Chryostomo, homil. 55. in Matthæum, & Augustino tract. 118. in Ioannem, qui dicunt omnia Sacramenta, & ipsum diuinum sacrificium signo crucis perfici. TERTIO, ex Tertulliano in libro de Corona militis, Cyrillo Catechesi 4. & 13. & Hieronym. in epist. ad Eustochium de custodia Virginitatis, qui docent, in omni negotio signum crucis adhibendum. Quod si in omni negotio, cur non in actione tremendi sacrificij?

CAPVT XVI.

*De his, quæ recitantur in Missa Catechumenorum.*

ESTAT POSTREMA controuersia de veritate Canonis, & aliorum, quæ in Missa recitantur. Vbi illud est OBSERVANDUM, Missam in quatuor partes diuidi solere. PRIMA est, ab initio vsq; ad Offertorium, quæ dici solet Missa Catechumenorum. SECUNDA, ab Offertorio vsq; ad Consecrationem, quæ dicitur à Græcis *ἀναφορά*, à Latinis nonnullis Canon minor. TERTIA, à Consecratione vsque ad Communionem, quæ dicitur Canon maior. QUARTA, à Communionem vsq; ad finem.

*De Psalmo, Iudica; & Confessione.*

PRIMUM igitur ante Missæ initiū pronunciatu Psal. 42. *Iudicame Deus*, & fit generalis confessio. Et quidē Psalmum

Eccc 4 repre-